



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Brabantiae primitiae sub Pipino de Landis. Capvt X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



Nassoniæ quiescit: sanctus Hadelinus confessor, & doctor salutis, qui ad Letiam habuit cœnobium. Sanctus Amor diaconus, vt opinor, vixit eodem tempore, Traiectum ac Belisiam euocatus ex Aquitania patrio loco, exemplo sanctorum Amandi, Remacli, & Hadelini.

Rursus claruerunt in Hasbania sanctus Landoaldus archipresbyter, qui admirabilem puerum Lambertum instituit, & annis nouem vicarius fuit sancti Amandi pontificis, dum is paganis Christum prædicabat, item S. Amantius diaconus, & alij collegæ: quos à Martino papa sanctus Amandus, sibi ex vrbe Roma cooperatores accepit, item sancta Vinciana virgo, soror Landoaldi, sancta Adeltrudis virgo, sanctus Adrianus nuncius & martyr. Qui omnes in Wintershouen quieverunt, apud Tungros, inde postea Gandauum translati. Vixit denique tunc apud Hasbanos sanctus Trudo, qui in pietate & paganorum conversione valde celebris fuit, eo loci vbi monasterium est, & oppidum, quæ ab eo sancti Trudonis dicuntur. (vt dictum est)

*Brabantia primitiæ sub Pipino de Landis.*

C A P V T X.

Sed ad Brabantiam transeamus. In ea florebant, Pipinus de Landis, primus Brabantia dux, & maior domus in regno Austrasiæ: qui in omnibus negotijs suis consilium adhibebat Arnulphi sanctissimi Metarum Episcopi; atque eo demortuo Cuniberti Colonienfis Antistitis. Iduberga eius vxor, cuius frater fuit sanctus Modoaldus, episcopus Treuirensis, soror sancta Seuera. Sanctus Amandus in multis Brabantia locis fi-



## C R O N I C A

cis fidem Christi prædicabat, potissimum iuxta Niuellam, & Bruxellam. Ipsius instinctu Iduberga sibi & filia suæ sanctissimæ Gertrudi, Christi-que familiae, cœnobium construxit Niuellense, in quo vtramque sacro velamine consecrauit; Foresti discipulam habuit sanctam Alenam, virginem & martyrem. Sanctus verò martyr Liuinus, prædicabat in Occidentali Brabantia, versus Flandriam. In territorio Antuerpiensi contra infidelitatem pugnabat sanctus Eligius episcopus. Scribit enim sanctus Audoënus eum iugi instantia Andouerpis pugnasse, multosque erroneos conuertisse. Clarebant præterea eo tempore in Brabantia sancta Beggha, soror sanctæ Gertrudis, quæ Andainæ apud Namurcum cœnobium construxit: sancta Gudila virgo, postmodum Bruxellam translata: sancta Raineldis, virgo & martyr Santhis cumque ea S. Grimoaldus subdiaconus & Gundulphus minister: sancta Pharaildis virgo: sancta Ermelendis, Meldricis, inter Thenas & Louanium: sancta Berlendis, cum Nona & Celsa Merbecca, & sancta Ragenusla virgo in Gallica Brabantia, Aicuria.

*Flandria conuersio per S. Amandum,  
Bauonem & alios.*

## C A P. XI.

**P**orrò apud Flandros Gandauenfibus, sanctus Amandus verbum Dei prædicare non destitit, quantumuis ab incredulis permulta patere-  
tur: vbi discipulum habuit magnum illum Bauonem filium Agilulfi Comitis Hasbania, qui ex sæculari militia ad monasticam vitam transijt,  
contra